

2. *Phis.* ca. 3.
tracta. 4.

2. *Phis.* in tex.
com. 82.

Corresponden-
tia. 3. *Phis.*

Dis. pma ex tex.
cō. 6. scōa dō ex
tex. com. 15. li. 3
sumit.

Mobile dupli-
cez potentiā h3

5. *Phis.* in tex.
Com. 44.

Casus est causa per accidens eorum que fiunt non propter hoc : extra semper et frequenter in non habentibus propositum. Et nota / quod casus quandoque distinguitur contra fortunam : ut patet in diffinitione eius. Quandoque autem casus est superior et tunc in diffinitione ipsius obmittenda est ultima particula : scilicet in non habentibus propositum. Nota quod in his que fiunt propter hoc : siue fiunt a proposito / siue a natura / contingit fieri errorem / faciendum plus vel minus vel indebite / talia vocantur peccata siue monstra in natura / si fiunt a natura : vel in arte / si fiunt ab arte / ut patet in exemplis.

Motus est actus entis existentis in potentia secundum quod huiusmodi. Item motus est actus imperfectus. Etiam motus est prima perfectio eius quod est in potentia : quod sic patet. Nam hoc quod est in potentia duplicem habet potentiam : unam respectu motus : et aliam respectu eius quod acquiritur per motum. Est enim motus actus entis : quo existente adhuc remanet aliquid eius. Forma autem que acquiritur per motum est perfectio qua existente nihil remanet ipsius motus. Item ad unum motum in numero et continuum tria exiguntur : scilicet unitas mobilis : et unitas forme ad quam est motus. Et quod tempus mensurans motum sit numero